

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

LVI.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

Quem primis vultum auditor mirabar ab annis,
 Aspicio, agnoscoque Heroæ frontis honorem,
 Parce Numa artifice, neve omnia numina fingi,
 Crede nefas: animi sopitum hæc suscitât ignem
 Virtutis, Sophiæ atque tuæ pietatis imago.
 Sturmius æternæ sed non tamen omnia famæ
 Scalpello patitur pendere & ab arte magistra:
 Arma aliunde sibi provisa, alibique reponit
 Labem ævi adversum mordacis, funeris experts,
 Nam facilis labor exacte ad vivumque referre
 Cygneo ora tua, o Sturmi, suffusa colore,
 Difficilis, frustra que labor calami impete mentem
 Reddere velle tuam, & laudes æquare canendo.

PP.

LVI.

Clarissimo, Doctissimo & omnibus virtutibus excellenti

*Viro, D. Philippo Melanchthoni bonarum artium & celestis doctrina assertori,
 Præceptori & tanquam patri suo longè carissimo ac perpetuè
 colendo.*

S. P. D. Quod me dignum habes, mi Præceptor, quem literis tuis ornes, habeo tibi gratiam, quibus ego ita delector, ut illis in hac vita gratius ac jucundius nihil habeam. Hæ sunt opes meæ, hi thesauri, hæ summæ deliciæ. Aliorum quamvis conjunctissimorum hominum literas, semel perlectas, repono, harum lectione fatiari nullo modo possum. Vicies eas in diè promò, ac quoties sumi in manus, sive cum aperio, sive cum convolutas claudò, iterum atque iterum deosculor, & de ardentissimo cordis affectu complector, cujus mihi vivam, quasi imaginem hæ referre videntur. Te ipsum mihi propono, cogito tuam in congressibus festivitatem, summam gravitatem, singularem prudentiam, incredibilem penè lenitatem ac mansuetudinem. Ista cogitatione plerumque & solitudinis tedium vito, & doloris, quem ex communibus ærumnis capio, acerbiter lenio. Jam tertiam abs te epistolam accepi. Ego nullam occasionem neglexi, quin aliquid ad te literarum dederim. Te vehementer rogo atque oro, ut deinceps quoque ad me scribas, devincies me tibi æterno & immortaliter bene-

bene-

beneficio. Et quanquam omnia summa officia tibi debeo tamen si hoc quoque beneficium prioribus tuis meritis adjeceris, magna & insigni accessione tum erga me amorem confirmaris, nec erit quicquam, quod ad arctissimum perfectissimæ obligationis vinculum requiri amplius possit. Humanum est, ut noster Cicero inquit, cui multum debeas, ei plurimum velle debere. Quod me hortaris, ut dolorem, quem conspectus calamitatum & servitutis Pannonicæ mihi adfert, moderem, equidem id sedulo facere studeo, sed ærumnæ, quæ quotidie nuntiantur, rationem & consilium superant. Turci in dies ulterius procedunt atque imperii sui limites promovent, & quod simplicium animos valde movet, videtur Christus professionem suam Mahometo cedere, qua cogitatione dementati non pauci fidem abnegant, & se incidi patiuntur. Toties vidimus pannonicos campos Christiano sanguine stagnare, nunc quoque etsi oratores Regis de pace componenda ad Cæsarem Turcarum Constantinopolim missi sunt, hostes tamen nihilo minus loca omnia, quæ nondum subacta sunt, ferro ac flammâ vastant, & ut illa apud Homerum Meleagro quæritur :

*"Αἰδέμε μὲν κτείνοισι, πάλαι δὲ τι πῦρ ἀμυβόισι
Τίκα δὲ τ' ἄλλοι ἄγχοι, βαροζώνης τι γυνάικας.*

Ademptæ sunt nobis hoc mense Novembris, in Somogio arces munitissimæ, Dombo, Debregeft, Turris Simonis, Tamasi, Ozora. Fuit in Simonis turri collocatum præsidium trecentorum veteranorum militum, hos Turci quotidie ad faciendam deditionem sollicitabant, ac interposita sui imperatoris fide, faciebant eis potestatem abeundi cum rebus suis, & cum impedimentis omnibus, ac quocumque vellent commigrandi. Tribunus militum ubi vidit munitionem teneri amplius non posse, suos cohortatus dixit multa graviter de perfidia hostium, exempla commemoravit. Dixit, quid Christiana fides postulet, præstare pro gloria Christi honestè mortem appetere, quam arce dedita, aut in perpetua ignominia vivere, aut pecudum instar inermes obtruncari. Quos ubi satis animatos vidit, paucis secum retentis, in hostes emisit, sperabat eos Turcorum castra disjecturos esse aut consternatis subito pavore illorum animis arcem obsidione liberaturos. Dimicant illi fortissimè tamdiu, donec lassati continuè hostium cæde à circumfusa multitudine ad unum omnes obtruncati sunt. Qua victoria elati Turci sine mora munitionem invadunt. Tribunus de præsidio desperans patefacta porta erumpit, tanto impetu, ut eum non secus ad fulmen quoddam, hostes quoquo se converterat, devitarint : ita obvios quosque cædendo per mediam Turcorum aciem perripit atque incolumis abiit.

Nostros Principes interim, DEUS bone, quantus veteranus habet? sed nimis vigilant ad effundendum innocentem sanguinem, ad expilandos subditos *ἰσχυροὺς βασιλεῖς.* Non possum interitum patriæ sicis oculis

lis spectare: sed cum mederi exitiabilibus malis nequeam, funera tantum ejus Jugubri lamentatione prosequor. In tanto dolore unicum est per fugium, quod historiæ & sacri libri præstant. Huc confugio, in hoc portu tandem conquiesco. Video fatales esse imperiorum periodos. Scio promissam esse ecclesiæ perpetuitatem, non sicut tamen, ut omnino marcescamus, ut affluamus deliciis, ut auream ætatem speremus. Servabatur & propugnabatur ecclesia etiam, cum captiva serviret in Babylone. Scio regna mundana fluxa esse & caduca, solius Christi regnum in æternum permansurum. Hæc cogito, his me solor, sicut tu quoque sapienter mones. Video Christum potenter dominari in medio inimicorum suorum. Nam quod scribis, te putare, non minorem esse servitutem Christianorum in Belgio, quam sub Turcis, scito in jurisdictione Turcorum ubiq; liberè prædicari evangelium, ut summum beneficium DEI esse dicas, quod has terras à barbaris subjugari permisit. Etsi enim corpora serviunt, certè evangelii magna lux affulgit & est amplissima libertas spiritus, quam nostri reges, si rerum potirentur, armis & castris impedirent. Benedictus Abaude, homo integerrimus & egregiè doctus, qui ante annum isthic ordinatus est in Zeged, quæ civitas est opulentissima & maxima, ad Tiscam sita, & in schola & in templo magno cum favore Bassæ docet, adeo ut nuper in quadam disputatione ipse Bassa Monachis silentium indixerit, quos non secus ac moriones habet ac minatus est, brevi se eos ex urbe ejectionem, quod ego & famâ prænunciante & non ita multo post ex ipsius Benedicti literis certò cognovi. Stephanus Zegedinus, qui aliquandiu Witebergæ bonis artibus operam navavit, concionatur in oppido Ziglet, quod octo milliariis infra Budam Turcæ tenent. Emericus, qui nuper isthic rediit, recta se Tolnam contulit, quæ jacet in ulteriori ripa Danubii & Turcico præsidio onerata est. Denique licet unicuique Doctori, scholastico, concionatori transire in illorum partes & docere, ubicunque velit, sive in ludis sive in templis, nec præmium consuetum doctibus diminuitur. Verum ego nonnihil subvereor, ne hostes eo tantam libertatem concedant, ut populum ad se alliciant, qui quia verbi divini est cupidissimus, eo confluit, ubi illud purè ac sincerè doceri audit. Nec illi tam dementes sunt, ut sylvis & desertis imperare velint, ut ea loca, quæ armis subegerint & sanguine suo pepererint, deseri à colonis patiantur. Hominum frequentia gaudent, *ἀλλὰ περισμίσις ἐκείνῳ πᾶσι χεῖρα, ἵνα προφάσει, ἵνα ἀληθείᾳ, χεῖρα καταγγέλιται.* Hanc tamen suspicionem illud infirmat, quod in ipsa Turcia multi Christum annunciant. Franciscus Picus, Hungarus, Zegedinus, nunc Galatæ, nunc Constantinopoli in magna auditorum frequentia docet, alitur à Gallico oratore & ab aliis Christianis, qui ibi vel serviunt vel negociantur. Stephanus Mailatas Vaida Transylvanus, ceu alter Manasses, compedibus vinctus in carcere Constantinopolitano, cum Valentino Tereo concaptivo suo tenetur, audit quotidie

Tttt

tidie

tidie bonas evangelicas conciones, nuper scripsit ad uxorem Christianissimam confessionem & eam causa gloriæ Christi orat, ut permittat, reformati ecclesias in sua jurisdictione.

Transylvania hac æstate DEI beneficio tranquilla fuit, & quanquam aliquot annis est afflicta bellis, tamen jam reviviscit & rursus florere incipit. Construuntur passim ubique multa nova ædificia, magna fuit frugum & omnium fructuum fertilitas. Vina nobilissima copiosissimè provenerunt. Sed quod Demades dixerat, regnum Alexandri ipso mortuo simile fore cyclopi, cui Ulysses oculum eruisset, nos quoque oculo & capite caremus. Monachus cum Turcis colludit, interfunt omnibus conventibus Turcici Legati, nec quidquam decerni potest, quin id hosti continuo palam fiat, quia etiam in aula Reginae & Monachi, novi subinde oratores sunt, qui quoquo vadunt, eos sequuntur & magnis muneribus honorari se cupiunt, quæ etiam invitis sua importunitate extorquent. Regina cum suo comitatu Polonico dies & noctes helluatur, & tempus omne, quod ab epulis superest, saltationibus dat. Nunc ex puerperio laborat, et si id ipsa sedulo tegit ac dissimulat. Quod mihi magnam consolationem affert. In tota Transylvania Christus agnoscitur & celebratur & cælestis doctrina promulgatur, excepta non magna Ceculiae portione, atque Alba Julia, ubi Canoniorum Collegium est, inter quos Regina agit. Commendatus mihi est à parentibus & consanguineis suis Daniel Coperger, adolescens honesto loco natus, Cibinii, cujus pater Wolfgangus Copergensis primus omnium evangelium amplexus est ac defendit. Te magnopere oro, carissime Præceptor, ut pro tua bonitate, ejus rationem habeas. Præfice ei aliquem privatum Præceptorem, cujus opera Præcepta Grammatices & primarum artium fundamenta addiscat, apud quem & pecuniam omnem, quam in sumptus accepit, coram te deponat. Habet LXXIII. aureos florenos Hungaricos, quibus ad triennium se isthic in studiis honestarum artium sustentare poterit. Commendo tibi & Josephum Mexnerum, qui est uxori clarissimi viri, Georgii Vernerii, ex fratre nepos, atque ut eisdem privatum Præceptorem adjungas, & ut ejus curam habeas, te pro tua erga me benevolentia valde rogo.

Ego, sicut antea decreveram, ad vos hoc tempore reverti, quamvis miro vestri desiderio teneor, non possum. Reperi instituendos in Italia liberos Francisci Revvæ, Propalatii Hungarici, his conditionibus, ut ultra biennium in Italia me extrahi non patiar, quod in arbitrio meo relinquitur, ut detur victus & amictus honestus, ut numerentur quotannis sexaginta floreni nostræ monetæ. Ubi DEI beneficio ex Italia reversus fuero, constituenda mihi vita stataria est, nam motoriam, ut nimis tragicam, jam pertæsus sum. Qua in re obsecro, ne mihi consilio tuo desis. Si quid habes, quod in rem meam consulere possis, id maturè ad me perferbe. Ero Vienna ad mensem Aprilem. Interim, jucundissime Præceptor, quæso aliquid ad me literarum des, quascunque dederis, Vitus Theodoricus ad me commodissimè perfer-

ferri curabit. Statui Medicinæ operam dare, cujus discendæ si tu mihi brevem rationem præscribas, rem mihi longè gratissimam factururus es. Imperator Turcorum sine dubio appetente ætate, cum exercitu egressurus est. Hic annus de Hungaria statuet. Vale. Tuæ conjugis, Dominæ mihi omni honore colendæ, meis verbis plurimam salutem dicit. Eperies. ipso die natali Christi, M D XLVI.

Lycurgi orationem expecto.

Sigismundus Gelous.



LVII.

Michael Lucius A. Joanni Baptistæ Heintzelio,
Viro Clarissimo, Consuli Augustano.

S. P. D.

Vetus Joannis ab Hilten, quandoque Monachi Genacensis, patrone sapientissime, cum de aliis plurimis tum præcipuè de hoc præsentis anno, in hunc modum extat vaticinium :

Anno sexagesimo sibi caveat omnis homo.

Hoc quam verum sit, præter alia multa declarat, proh dolor! insignis casus, ad quem exprimentum fateor mihi & mentem & verba deesse, Amifimus enim imo in vitam æternam præmisimus heri, Reverendum patrem Dn. Præceptorem Philippum, aurigam & rectorem curru Israel, Lumen Germaniæ & scholæ nostræ oculum ferè unicum, quo nunc effosso quid aliud quam quod Demades de Alexandri exercitu gravissimè protulit, nobis sperandum sit, non video. Hoc præsertim turbatissimo seculo, in quo cum Diabolo pleraque ejus mancipia concertare, eumque quandoque superare videmus, adeò ut verè vaticinans quoque scripserit Stadius :

*Non opus est furiis tantum mirantur & adstant
Laudantes, hominumque dolent plus posse furores.*

Quod ideo hic referens præmitto, quod turbatum mundi statum, hominumque malitiam & atrocia scelera considerans, hos quoque versus inter ultima verba aliquoties recitavit & adolescentibus ediscendos proposuit (proh dolor!) scholæ nostræ lapsa nunc columna Philippus. Nunc ut brevis sim, (neque enim præ dolore & temporis angustia animum ad cogitandum componere valeo) de toto ejus morbo & signis obitum ejus antecedentibus sic habeto. Die Palmarum, qui

Tittt 2